BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
19 N
21

T

Digitized by Google

~~4 H.ital. 159. p.~~

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNTAGMA

HERBARVM

ENCOMIASTICVM,

Earum vtilitatem & dignitatem declarans;

V. CL.

ABRAHAMO ORTELIO P. MEM.

quondam inſcriptum.

Editio ſecunda.

EX OFFICINA PLANTINIANA
RAPHELENGII,
1614.

Digitized by Google

Spectatori Auctor

non ſum vt hæc noſtra legat, non Lectori, vt laudet: ſui ipſius vnuſquiſque genii ductum ſequatur, quemadmodum & ego mei, dum iſta pangerem. Si cui tamen lectu digna videbuntur, illi aut vt negligat, aut perlegat, ſuadeo; & ſi eum minutæ obſeruationes delectant, (ſtudio præſertim ſi rei teneatur herbariæ) hîc forſan inueniet quod eius palato ſapiet: aut occaſionem hinc ſaltem ſumet, argumentum hoc aliquando ſublimiori ſtylo tractandi. Hæc ingenii mei exercitia olim fuere, & meo quondam illa placuere avunculo, CL. V. D. Abrahamo Ortelio, cui à me dedicata, & ſtrenæ loco data; ita vt illius omnino fuerint. Nunc verò quum ad me iure penè hæreditario

Digitized by Google

redierint, non aliquid mei, ſed è Mæcenatis mei P. M. Bibliothecâ, nonnihil dare publico videor. Non tamen præceps in emittendo, vti cernis; qui id iam ſexennium & ampliùs in tenebris depoſueram; & reliquiſſem, niſi euagandi veniam illi, vir multis mihi nominibus amiciſſimus impetraſſet, vt eius epiſtola teſtatur. Eat itaque, & *quò fata trahunt, retrahuntq́ue ſequatur.* Zoilum non vereor, tum quòd nihil illi honoris accedet, ſi mendas in ipſa (vt ita dicam) mendicitate repererit; eruditionis enim expertem me ipſe fateor, & mercaturam non literas profiteor: tum quòd nihil mihi indè doloris, quippe qui vſu callum induxerim; nam viros doctos ſemper honore & amore proſequens, aſſiduus ſum

mihi ipſi Zoilus.

D. IA.

D. IACOBO COLIO
Orteliano, mercatori doctiſſimo,
IOANNES REGIVS, V. D. M.
S. D.

MODESTIAM, *ne tuam prædicem, amiciſſime Coli, an de iniuria tecum expoſtulem, non mihi ſolùm, ſed & publico (cuius bono tu quoque natus) illatâ? Nam Encomium tuum de Plantis, mira elegantia refertum, non ita nuper legentem, & lecto typis dignum eſſe iudicantem, iocari me potiùs quàm rem ſeriam tecum agere exiſtimabas. Sed quàm immeritò, appâret ex Auunculi tui Abrahami Ortelii, piæ memoriæ, epiſtola: in quam fortè incidens, meum iudicium cum tanti olim viri congruere vidi, qui te effugia quærentem, & editionem excuſantem, ne hanc tuam orationem publico inuideres adhortatus eſt: cuius verba hîc ſubtexere libuit; ea autem ſunt eiuſmodi:* De Syntagmate tuo quæ ſcribis, rectè & verè, nempe noſtra nobis interdum nimium placere, ideoque prudentes nihil euulgare temerè, atque iſto tamen leuiora multa paſſim excudi: Tuum tamen, inter ea quæ editione digna cenſeo, ingenuè numero: & nî fallor, ille qui Francofurti herbarum imagines edidit, lubens, & ambabus manibus complexus, ſi obtuliſſes, fuiſſet. *Itaque iuſtam tibi pro iure amicitiæ noſtræ ſuccenſendi cauſam habere me putaui, qui hactenus aliorum iudicio cedere nolueris, nec leui cenſura dignum te cenſeo, niſi breui hunc animi tui partum in lucem proferas. Sed inquis, erubeſco euulgari iſtiuſmodi exercitia, quæ iuniores potiùs decent, quàm matura iam ætate viros; Non te latet, mi Domine, eandem materiam tractari poſſe & à tyrone, & à magiſtro, ſed modo longè diuerſo, ex quo quodlibet ſcriptum æſtimandum eſt. Quis neſcit artificem tam in re vili quàm magni momenti ſeſe prodere? Stultitiam laudare quid ſapienti videtur ſtultius? umbram quid vanum magis? attamen ſi & viros, & quem in laudibus tenuere modum ſpectes, non dicam*

ſapientia, ſed & cerebro carere, qui Eraſmi Moriam, & Iani Douſæ Vmbram carpſerit, quaſi vterque in re nihili fuerit occupatus. Tyro etiam res graues tractat; exempli cauſa, Theologicam materiam de iuſtificatione; iuridicam de iuſtitia; medicam de corpore humano; diuidit in partes, deducit per ſuas cauſas, & effecta; qui in iis facultatibus eſt neophytus: idem facit harum facultatum profeſſor doctiſſimus: etiamſi quam vterque tractat materia ſit eadem, imò nec methodus multùm diſcrepare videatur; tamen in tractandi modo tantum appâret diſcrimen, vt illius tractatus vix legi mereatur, huius verò qui omnium manibus teratur ſit digniſſimus. At, inquis, multi ad quorum eruditionem ne accedo quidem, de plantis ſcripſere. fateor medicorum propriè eſſe de plantis agere, ſed non tam earum dignitatem extollere, quàm vires; quod tantum vnum eſt argumentum, quo plantarum dignitas probatur; tu verò plura habes quibus plantas ἐγκωμιάζεις, eaq; partim firma, partim probabilia, partim denique iucunda potius quàm veriſimilia; cuiuſmodi eſt quod de plantarum religione & diuinitate refers; ſed cibis condimenta opus eſſe, quo ſapiant magis, quis non nouit? Quamuis non deeſſent qui de dignitate plantarum multis argumentis, cum laude deſeruiſſent, id non impediret quominus & tua orationi ſua eſſet laus, idq; quod, vel pluribus argumentis plantarum dignitatem maiorem feceris, vel aliis, aliòve modo propoſitis harum Encomium tùm ornatius, tum perſpicuum magis reddideris: ita vt aliam planè formam induiſſe videri poſſit. Suadeo itaque tibi, amicorum integerrime, ne in pectoris ſcrinio diutiùs ſerues, vel potiùs blattis, & tineis rodendum relinquas quod iam diu depromi oportuit: nam ſi teſte Heſiodo, ille bonus

ὃς δ' εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ος δέ κε μήθ' αὐτῷ νοέῃ,

certè vir bonus eſſe non potes, niſi benè monenti pareas, nec tibi ſoli ſapias, ſed & aliis permittas aliquem meditationum tuarum percipere fructum. Vale. E noſtro Muſeo 8. Iduum Decembris 1605.

Cla-

Clariſſimo Viro,

D. ABRAHAMO ORTELIO ANTVERPIANO, GEOGRAPHO REGIO,

Auunculo ſuo obſeruando,

S. P.

AB *ipſis incunabulis (Chariſſime Auuncule) in deliciis mihi floſculos fuiſſe, tibi, cui ego iam inde notus, ignotum eſſe nequit. Poſtmodum autem (neſcio an otii abundantiâ, an genii mei inſtinctu) aliquid ſemper temporis Herbulis ſerendis & alendis libenter impendi; donec tandem grandævi, optimiq; mei parentis mihi fuerint negotia ſuſcipienda. Tunc autem non tantùm (quod aiunt) nuces, ſed fructus ferè omnes, floreſq; relinquendi fuere. Ne tamen ſpartam quam nactus fueram non ornarem, encomium hoc Herbarum*

in

in priſtini amoris mei erga illas monumentum conſcripſi: quod qualecunq́, tibi, (cui id videndi cupido inceſſit,) mitto dedicoq́. Nugas eſſe dices, nec in hoc nugabere: quidni enim meritò pro nugis hæc habeantur tibi, qui non bulbos (iuxta Prouerbium) quæris; ſed qui altiori animo & immenſum hunc Orbem mentis illuſtras radiis, & eorundem reflexu ab Orbe viciſſim immortali gloria illuſtris redderis? Imò & ipſe ingenuè agnoſco, & tibi ne illudam, luſus eſſe prædico: quibus tamen te interpellare eo minus ſum veritus, quòd Telluris celebri tuo radio deſcriptæ, virentem iſti magnificamq́ veſtem celebrent. At res tui arbitrii eſto; nec refert vtrum perlegas, an ableges, dummodo ne me, qui in æternum

tibi deuotiſſimus

IACOBVS COLIVS ORTELIANVS.

SYN-

SYNTAGMA PLANTARVM ENCOMIASTICON;

Arborum, Fruticum, Herbarum, aliarumq; omnium Plantarum Proſopopœia.

ETSI nihil (ô mortales) in hoc vaſto pulcherrimoque terrarum Orbe Numen cæleſte condiderit, quod non abunde Creatoris ſui maieſtatem & munificentiam celebret; hæc tamen potiſſimùm in multiplici hoc noſtro herbarum arborumque numero; ſpectandam ſeſe atque admirandam præbet. Quibus cùm nihil quotidiano veſtro vſui magis ſit neceſſarium, quumque prætereà multa præſtemus quæ vel veſtrûm pleriſque ne in cogitationem quidem cadunt, excitandos & monendos vos duximus, ne latiùs ſerpente negligentiâ, laude debitâ rerum Opifex, culturâ terræ ſuperficies, ſuoque è nobis emolumento mundus tandem fraudetur. Vtque iis ſatisfiat qui curam operamque nobis impendunt, iiſque occurratur quibus rei herbariæ ſtudium eſt con-

temptui, paucis palam faciemus quid Orbi præbeamus vtilitatis, & quam ab eo ſimus dignitatem adeptæ. Vos modò aures animumque parumper aduertite.

Homini neceſſaria. Homini vitam ſuam omnibus eſſe rebus anteponendam, luce clarius eſt meridianâ. Huic autem conſeruandæ præcipuè neceſſaria eſſe, aquam ſeu potum, panem, amictum, & tegentem domum, ſcriptum reliquit Eccleſiaſticus, capite libri ſui vigeſimo nono. Vos autem fuſiùs dicite, hominem expetere neceſſitatis cauſa, intrinſecus cibum, potum, pharmaca; extrinſecus amictum, ædes, naues, ſupellectilem; cupere etiam viſus, auditus, olfactus, guſtus, & tactus oblectationem; & nobiſcum ordine inueſtigate, an in noſtra poteſtate non ſit, ſingula ſuppeditare.

Plantæ cibum ſuppeditant. Imprimis quis iuerit inficias, omnis alimenti præcipuam materiam, *Triticum, Secale, Orizam, Hordeum, Milium*, cæteraque frumenti genera, abunde nos largiri? è quibus pinſitur *panis* ille *quotidianus*, quem ſibi à Deo petere Chriſtianus eſt Orbis edoctus, qui vel ſolus (vrgente neceſſitate) ad victum ſufficit. E quibus etiam cruſtula, liba, artolaganæ, & varii generis ſpiræ, vbique gentium conficiuntur: E quibus prætereà pultes, polenta, & offæ parantur. Pro opſonio imprimis *Lactucæ, Portulacæ, Naſturtii* folia damus, quæ cruda in acetariis

tariis ſtomachum excitant. *Maluæ* dein, *Betæ, Spinaciæ* aliorumq́. olerum foliis coctis, *Lupuli* etiam & *Aſparagi* optimi ſucci ſurculis eum modicè reficimus. Hiſce (cum *Carduo altili*) *Braſſicæ* varia genera ſubiicimus. *Capparis* autem, *Geniſtæ, Mali aurei*, aliorumque florum gemmulas in vſum veſtrum conuertitis. Baccarum dein edulium multa largimur genera; *Cucumerum*, *Cucurbitarum* diuerſas formas, *Melopeponum* exquiſitiſſimos etiam ſapores; Leguminum autem copiam immenſam; *Nucum*, *Ceraſorum*, *Pyrorum*, *Pomorum*, aliorumque fructuum, numerum infinitum. Adhæc *Dactylos, Ficus, Pruna, Vuasque paſſas* noſtro munere habetis. Quin & ſubterranea noſtra vobis in alimentum cedunt: *Allii* enim, *Cæpæ*, ſimiliumq́. bulbis eſculentis veſcimini. Quid obeſt quin *Paſtinacarum* radices diuerſæ, & *Siſari*, & *Batatæ*, & *Raporum* (quæ teſte Plinio ante omnia cunctis animalibus naſcuntur) famem vobis expleant? Et ferculorum tandem omniū condimenta *Oleum, Omphacium, Acetum* & *Sinapi* à nobis habetis. Et ſingula ordine proferimus, quædam ſcilicet vere, alia æſtate, plurima autumno, non pauca hyeme: nec non horum magna pars abſque detrimento in integri anni vſum (aut *Pipere* conſperſa, aut *Syrupo* condîta, aut *Aceto* macerata, aut *Oleo* iniecta, aut exiccata demum) deponitur. Hæc tamen

Digitized by Google

omnia ſi non ſatis diuitibus fortè arrideant, ex *Amygdalis* panem conficitis Martium, conficitis herboſa moreta, & *Pyrorum, Pomorum*ve placentas, quæ liquore aſperſæ *Roſarum*, & *Fœniculi* ſemine, *Croco, Cinamomo, Gingibere, Caryophyllis*, aut huius generis aromatibus, vel eruditiſſimo palato in delitiis ſunt. Mella etiam ex arboribus fluere ſcripſit Plinius, imò & ex *Olea* etiam (licet tota ſit amara) notauit Dioſcorides. & aliquid melle dulcius è *Muſa* planta extrahunt Indi. Hodiernum Manna non roridum (iuxta veteres) aut aërium eſſe liquorem, ſed ſuccum viuificum *Larici* aut *Fraxino* inſitum, primus Orbem docuit doctiſſimus medicus Matthias Lobelius. Veruntamen vt hiſce vix opus ſit, efficit *Arundo ſaccharina*, quæ tam immẽſam effundit *Sacchari & Syrupi* copiam, vt iis nõ ſolùm omnia fercula dulceſcant, verùm etiam ex iis conficiantur hypotrimmata, & ſuccorum fructuumque condimenta, quæ vel animam agentibus grata ſint. At ne quid nobis deeſſe obiiciatur, en non tantùm *Oſtrea* ex arboribus Indiæ Occidentalis; ſed & *Cochleæ*, aut *geniculatæ*, aut *turritæ* peculiari naturæ munere è carinis noſtris non rarò enaſcuntur, è quibus piſcem qui velit expiſcetur. Et (quod mirabilius) *Anates* ex arboribus oriundas Hibernia oſtentat. Hæ etiam vt ſaliantur, *Salem* (ſi lubet) è planta-

rum

rum cineribus elicite. Sed eſt poſt ſalſa bibendum.

Potum verò quem meliorem deſideretis, eo, quo mundi melior pars vtitur? *Vino* nempè, quod quàm ſit palato, & ventriculo gratum, quàm mentem exhilaret, corporis, & animi vigori quantum conducat, dicere non eſt opus. Nec huius tantùm multiplicia genera ex totidem *Vuis* exprimuntur: ſed & è *Pomis*, *Pyris*, *Palmis*, *Ceraſis*, ex herbis etiam & aromatibus innumera factitii vini genera pro cuiuſlibet guſtu aut opinione fiunt. Abſtemiis etiam ſtillaticium plantarum liquorem propinamus. Et ipſum aquæ elementum in ſalubrem populis ſeptemtrionalibus Ceruiſiam *Lupulus*, *Hordeum* ſeu *Bryne* vario modo conuertunt. Iam autem num quid deeſt, quo minùs lautiſſimè victitetis? *Plantæ potum miniſtrant.*

Adhæc quàm victus è nobis comparatus ſit laudandus, omittendum nequaquam duximus. Ex antiquiſſimis autem ſcriptis noſtis rerum omnium Conditorem primo parenti Adamo beatum illud ſuum domicilium, non apud lanienam quandam aſſignaſſe, ſed in Paradiſo, conſito arboribus, & herbis aſpectu iucundis, & aptis ad veſcendum: cumque eidem ſemel, atque iterum fruges noſtras in cibum deſignaret, de animantibus edendis ne verbum quidem. Et quamuis *Victus antiquus.*

omnia viro animalia ſubiecerit, ex eo tamen ſequi veſcendum iis fuiſſe, negabit Eua eius quoque ſubiecta imperio; dicetque Pythagoras ſubiecta, vt vobis *Bos aret*, vobisque laneo velamine, *Horriſonum contra Borean ouis arma miniſtret*; addetque (ſi quis vrgeat) vt *Vbera dent ſaturæ manibus preſſanda capellæ*, quæ tamen ſuis labris iure deberi innuent hæduli. Veriſimile itaque *Quòd vetus illa ætas cui fecimus aurea nomen, Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis, Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.* Fortunata quidem nō tantùm, quòd parū laboris, aut temporis hæc noſtra requirant vt coquantur, aut parētur, manducata verò ſtomachū & cerebrum minùs onerent, ſed præcipuè quòd ſaluberrima: quippe quibus contenta priſca illa antiquitas, vitam produxerit ad ætatem ſtupendam. Poſtea autem animalium carne famem depellere Noacho, liberiſque eius conceſſum non negamus; nec iniuriâ, prout tunc temporis ſeſe res habuit. Diluuii enim vi frugibus vniuerſis conſumptis, putrefactis, ac diſperſis, nunquid & æquum, & neceſſarium erat, vt animalia in arcâ conſeruata, famem alioqui lethalem depellerent iis, quorum diligenti tutelæ vitam acceptam tum ferebant? Hoc tamen an pro carniuoris nunc faciat, ipſi viderint. Fatemur quidem & animalia quædam eſcâ delectari carneâ: ſed perſpicuum interea eſt, qua-

quadrupedum & volucrum,quas olim puras dixit legiſlator Hebræus, vix vllam non herbilem fuiſſe: illasque quæ animalculis, aut luto æquè, atque herbis veſcerentur,impuritatis ignominiâ fuiſſe notatas. Puriores etiam illæ animæ, Daniel nempe, Ananias, Miſael & Azarias, dapibus regiis rebusque omnibus animatis abſtinuerunt, ipſo Ioſepho teſte. Nec eſt,quod hodierno ſe more quis veſtrûm excuſatum putet. Americæ enim incolis, humanis veſci corporibus, & hodie moris eſt: at quanquam digniùs cum iis actum videatur, ſi comeſa in hominum,quàm ſi humata in vermium(pediculorum nempe)viſceribus condantur;quis tamen veſtrûm anthropophagos omnes non cenſeat dignos, quos cum Lycaone in feras Iupiter conuertat? Quid reclamabis? Diuo Petro dictum *Macta & ede*? Non refragamur, nec inuidemus. Sed ſic etiam vel inuitos vos herbis enutriri mox docebimus. Cæterùm non eſt quod hîc quiſquam inferat *Pomi* eſum Adamo maximæ miſeriæ, & *Vini* hauſtum Lotho inceſtus cauſam fuiſſe: nam ſi non hominis libido, ſed aut *Pomum*,aut *Vinum* per ſe peccati cauſa fuiſſet, Salus mundi proculdubio non in nuptiis olim ex aqua *vinum*,ſed ex *vino* aquam potiùs feciſſet. Sed (vt in viam redeamus) ſi aut vinum aliusque potus aut eſca fortè deficiat,

(omiſſis

(omiſſis Cæſaris *Hara* & Hiberniæ *Trifolio*,) ſunt mirabilis virtutis *Herba* Scythicæ, quibus ore retentis, per multos dies nec fames, nec ſitis ſentitur. Vtinam nec alia corporis incommoda! his tamen quoque medemur.

Pharmaca à plantis. Omnia enim medicamenta, atque pharmaca, an non à nobis proficiſcantur, pharmacopœorum eſto iudicium. Illa enim vt plurimum ſunt *radices, ligna, cortices, folia, flores, fructus, ſemina, ſucci, liquores, gummi, reſinæ, oleum*, & ex iiſdem aut extracta, aut compoſita. Porrò ſi vires virtuteſque nobis à Creatore conceſſas laudibus extolleremus, quis eſſet orationi modus? Si enim alicui ſit vulnus inflictum, ſi ſcabiem cutis contraxerit, ſi vitium corpori innaſcatur, ſi quo quis morbo laboret, ſi quis ſenſuum labefactetur, aut mente ſi quis alienetur, noſtrâ operâ ſingula ſunt curanda. Et hinc demum ſpecioſa illa nomina *Semen ſanctum*, *Gratia Dei*, *Carduus benedictus*, *Angelica*, ſimiliaque nobis impoſuere illi, quos priſtinæ reſtituimus ſanitati. Inſuper cuti nitorem, menti hilaritatem, peruigili ſomnum conciliamus: ſomniis quoque veritatem *venturi præſcia Laurus*: cuius etiam munere contra fulmina munimini. Athletis, olei inunctione augeri vires, olim notiſſimum fuit. Qui ſe pietati conſecrârunt, *Vitice* aut *Caphurâ* pudicitiam conſeruant. Maritis autem

Digitized by Google

tem Sperma augemus, eoſque ad Venerem, ſi lubet, ſtimulamus: qui & ſexum vtrumlibet *Mercurialis* noſtræ ope procreant. Mutuas procerum iras *Imperatoriâ*, veneficia *Verbenâ* Magi prohibent, aliis plantis amicitias conciliant, diuinant, & his mirabiliora præſtant. Quid multis? Vti *Iuglans* & *Taxus* vel vmbris ſuis tantùm non vobis interitum minantur, ſic *Acetum* in deliquiis odore tantùm ſuo animam quaſi reſtituit. Nec eſt quod hîc nobis lethiferas aliquis obiiciat ſtirpes, non magis quàm Reip. benè conſtitutæ virgarum faſces: quorum tantum abeſt vt Prætores Romanos olim puduerit, vt potiùs eos ſemper ante ſe ferri voluerint. Nulla enim eſt ſtirps quæ non alicui vſui ſe vtilem præbet: ſin minùs, neminem inſequitur, neminem lædit niſi coacta. Vtque palam fiat innocentia noſtra, vni *Apio riſus* conceſſit omnium rerum Author, vt (vbi à lictoribus pœna affecti, cum animi ægritudine vitam deponitis) iſtius herbæ eſu morientes, ridere etiam cogamini. Defunctos dein nec deſtituimus, quin imò aut corpora veſtra (ſuccis nempe *Aromatibus*que noſtris infuſis) incorrupta poſteris ſeruamus, aut vos interdum reuocamus: quod etiam ſi non ſemper effectum illo Elizæ baculo fuerit, Thylonem tamen à dracone occiſum, *Balii* herbâ ſaluti reſtitutum fuiſſe non deeſt qui

C ſcripſe-

ſcripſerit. Et Hippolytum ab inferis reductum *fortibus herbis*, credent Poëtæ, qui ipſo non fuerint Naſone naſutiores. Imò & ille ipſe, & alius quiſcunque, cuius tandem munere *Parte tamen meliore ſui ſuper alta perennis Aſtra fertur, nomenque erit indelebile veſtrum*, quàm chartarum noſtrarum vſu? queis (loquente Plinio) *conſtat immortalitas hominum*. Quid? ſi dicatur nonnullos noſtrâ ope corporis etiam immortalitate donatos? profectò ſi non quibuſlibet, Anthedoniis tamen id perſuadebitur, quos credidiſſe *Glaucum* ſuum *comeſâ herbâ immortalem factum*, vetus prouerbium teſtatur. Imò & quibuſlibet id ſeriò præſtitiſſet *Arbor* illa *vitæ*, niſi iam olim inacceſſibili concluſa Paradiſo fuiſſet, quæ & nobis de rebus intrinſecus neceſſariis ſermonem claudat.

Arbor vitæ, & Arbor ſcientiæ. Hoc tamen addendum: priſcas Paradiſi arbores, vitæ nimirum & ſcientiæ, nõ ſpiritualia quædam, ſed veras quaſdam fuiſſe arbores, firmiter credit Auguſtinus. Myſticas quidem illas fateamur, ſed vt è vulgari metallo fuit ſerpens ille myſticus à Moiſe erectus in deſerto, vt etiam è communibus vna fuit rupes illa myſtica quæ aquam ibidem effudit, quæ ambo venturum deſignârunt Meſſiam: ita etiam Arborem vitæ (quæ eundem deſignauerat) non peculiaris formæ fuiſſe ſtirpẽ, ſed vnam è vulgaribus huic vſui peculiariter

liariter tantùm deſtinatam, affirmare audemus. Idemq́. de Arbore cognitionis boni & mali credendum. Hanc enim vnam ex iis fuiſſe quas *Ficum Indicam* vocârunt veteres, multis rationibus probare nititur Goropius Becanus. Nomen enim *Ficus*, cuius ſe foliis Adamus & Eua texerunt, huic conuenit. Cumque ſtatim ab eſu vetiti fructus ſe nudos agnoſcerent, non ad aliam ſic arborem eos ambulaſſe putandum, quod contra pudorem fuiſſet, ſed ex eadem ſtatim folia, è qua fructum eos deſumpſiſſe maximè eſt veriſimile. Imò & ſub eadem ad aduentum vſque Dei eos latitaſſe, extra dubium eſt. Eos enim *in medio ligni* ſe abſcondiſſe ſcripſit Moiſes. Quæ verba nulli arborum quàm vni *Ficui Indicæ* conueniunt, cuius ſolius truncum multiplicem eſſe botanographis notum: niſi quis ſtatim in primo rerũ omnium vigore, exceſam ſcilicet aut eroſam iam arborem fuiſſe ſtolidè putet. Ex vna igitur hac arbore parentes veſtri lethalem decerpſere fructum, ex hac ficulneam veſtem, & ſub hac vmbram inuenerunt ampliſſimam: ſub qua etiam (teſte Theophraſto) homines poſtea morari, tanquam ſub tabernaculis ſunt conſueti. Imò & huius fructus eſu, arboris etiam naturam acquiſiuiſſe videntur. Sicut enim huius rami aſſurgentes, fibris ſe rurſus terræ affigunt, nouaſque radices agunt, ita &

Digitized by Google

Adamus poſteriqué eius, quotieſcunque ad cœleſtia mentem erigere conantur, terreſtribus rurſus cogitationibus miſerè deprimuntur. Hæc ille. Vita autem æterna (vt & nos noui aliquid iam doceamus) ecquâ potuit arbore meliùs exprimi, quàm eâ, quam inter omnes Deo O. M. chariſſimam eſſe ſcribit Eſdras? cuius nomen populo ſuo (ad vitam ſcilicet aſpiranti æternam) Deus ſemper communicat? de cuius etiam (poſt diluuium) reſtauratione, maximè Noachus fuit ſollicitus? *Vitis* ea eſt, quam etiam Plinius iure inter arbores apud priſcos numeratam ſcribit, nec eſſe ligno vlli æterniorem naturam affirmat: cuius & liquor ſtillatitius *Aquæ vitæ* nomen, in hunc vſque diem obtinuit. Et ne quis dubitet, quin *Vitis* in medio olim Paradiſi venturum adumbrauerit Meſſiam, ecce illum iuxta *Vitem* ſtatuit, & totum *Vuarum* ſucco (id eſt, vita æterna) fore madidum, filiis ſuis olim vaticinatus eſt moriturus Iaacob. Ipſemet autem Chriſtus iam Orbi patefactus, veram ſe eſſe *Vitem* diſertis verbis pronunciat, & à *Vini* creatione miracula ſua Canæ Galilææ exorditur. Orbem dein relinquens, fructum *Vitis* ſe cum Apoſtolis ſuis bibiturum in regno Dei pollicetur. At cuius *Vitis* fructum? Illius nempe quæ ſtabat in medio Paradiſi, cuius fructus vitam deſignabat æternam.

Plurima

Plurima etiam quæ in piorum cœtum quadrant, è *Vitis* natura colligi poſſunt; quæ prætermittimus. Hoc tamen notabile, quòd Arbor illa ſcientiæ in ethnicum ſit ſolum ablegata, Arbor autem vitæ, *Vitis vinifera*, tui potiſſimùm iuris (ô Orbis Chriſtiane) facta, peculiari videatur fato. Sed meditationibus hiſce nos exuamus, veſtibusque vos induamus.

Extrinſecus enim veſtiri inprimis neceſſarium habetur. Primus autem infantis amictus, nónne inuolucra & incunabula linea? & inde per omnem ætatem nónne proximum cuti ſemper induſium *linteum*? & mortuis denique nunquid lectus ſtygius è *linteo* torali? Adeò vt quodam naturæ inſtinctu corpora noſtris indumentis potiſſimùm delectari videantur, nec incommodè, ſiue munditiem, ſiue elegantiam ſpectetis: ideoque tum ſpiſſum ex *Vrtica* vel *Lino* pannum, tum ſubtiliſſimum velum, neceſſitas, ac luxus ad vſus applicârunt innumerabiles. Caput præterea reticulis, teniiſque lineis, & cucullis *goſſypinis*, galeriſque *ſtramineis* tegitis. Togæ autem aliaq. veſtimenta è lana texuntur, quam ſub primis tunicis habet bulborum genus in Cherrhoneſo Taurica. Ex *Acanthii* lanugine veſtes bombycinis ſimiles in Oriente conficiuntur. *Lineo* item heteromallo quid durabilius, & ſerico ſimilius? vt maximi *Amictus è plantis.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

precii byſſinum Plinii *Linum* ſilentio prætereatur. Verùm vt hiſce vix opus ſit, efficit *Goßypion*, lanam arboream (vt Germani germanè vocant) tanta gignens abundantia, vt panni inde xylini, aut ex *Xylo* pariter & *Lino* contexti ad omnes penè vſus conficiantur & accommodentur. Aurâ verò brumali, diploïs aut mamillare *Goſſypitio* fartum, cui ignotum? Nec operarios latet, durabilis quàm ſit amictus canabinus. E *Sparto* etiam calceamina, & paſtorum fiunt veſtes. Habetis calones, calceis ſoleas ſupponitis *ſubereas* aut *ligneas*. Et ſi quid deſit, filo ſupplemus, è quo ligulas, globulos, fimbrias, ac omnis generis opus texere, textum ſuere poteſtis. Sed & ſic amicti Numini placere videmini. Iudæorum enim primarius ſacerdos, ſanctuarium quotannis ingrediens, tunicâ, femoralibus, zonâ, & cindari *linteâ* ſe contexit. Ægyptiorum ſacrificus *xylino* ſe veſtiit. Et Salii *Populeis adſunt euincti tempora ramis*. Abſque Roboris fronde & Viſco nullum conficiebant ſacrum Gallorum Druïdæ. Aræ etiam & victimæ *fronde* redimibantur, nec ſine *Thure* aut *Vino* mactabantur. Et hac ætate ſacerdotes Romani ſacra facturi, ſuas quaſcunque veſtes vndique amiculo obtegunt *linteo*, altaria illis, menſæ aliis, *linteis* inſternuntur. Religioſi plerique fune *lineo*, aut *canabino* ſe cingunt, frontem quotannis *oleo*, aut *lintei*

cinere

cinere oblinunt, condecorantque bellè his pietatem, ſphærulæ precatoriæ ex *Agallocho* aut *Santalo* tornatæ. Vide vt hominem veſtiamus. Nec id tantùm, ſed cuiuſcunque etiam materiæ veſtimenta ſucci noſtri diuerſis (pro libitu) imbuunt coloribus, nec non ab iiſdem tineas *Abſinthio, Elæagno, Lauendula* aliiſque arcemus. Præterea ſi auro grauidam Hungaria interdum *vitem* producat, vt notauit Petrus Rauzanus, ſique *fluunt lachrymæ, ſtillataque ſole rigeſcunt De ramis electra nouis*, vt inquit Ouidius, nónne producimus quibus animum vel ſuperbiſſimis expleamus? Ex iis enim, & ex varii generis *Corallio*, quod affatim prouenit, monilia & armillas forment, queis collum, brachia, cincinnos etiam non indecenter concinnent. Sphærulas etiam ex *Agallocho* aut *Ligno Rhodio* ornatus cauſâ gerant, niſi ligneis aptiùs ornari ædificia quis velit; ad quæ properamus.

At ne ædibus diu immoremur, ſub dio ſcilicet aſſuetæ, nunquid iſtæ è *ligneis* columnis, trabibus, aſſeribus extrui, longuriis, aſſulis inſpicatis, aliiſque noſtris conſtringi, *Arundine* demum, *Iunco, Culmis, Scandulis, Picatis Carbaſis*, aut (more Mexicano) *Aloë foliis* tegi, egregiè queunt? Feneſtræ in iis è *linteo*, aut *chartâ oleo* perunctâ aptentur, aut illarum loco cancelli, aut *viminea* ſit crates: Intùs *Cedro, Ebeno*, vel alio rarioris notæ *ligno*, pro cuiuſ- *Domus è plantis.*

vis

Digitized by Google

vis arbitrio exornentur, & mirabimini quàm longo earum magnificétia interuallo priſcorum poſt ſe relinquat domos,quæ *antra fuerunt*,*Et denſi frutices*, *& iunċta cortice virgæ*. Aſt ne quis exprobret lapidem nos non gignere;quis neſcit,præter *Corallium*, quod *vimen in æquore erat,ſed fit ſuper æquora ſaxum*, ramos etiam alicubi fontibus immerſos ligneam in lapideam materiem commutare?

Naues à plantis.

Veruntamen ſi & vobis aqueum hoc elementum placeat, atque relicto ſolo paterno mare traiicere lubeat, à nobis naues, cymbasque(vitæ præſidia)petitis.*Pini* enim, *Quercus*, *Abietis*,aliúsve arboris materies,ſuppeditat è quo carinam, coſtas, tabulata, malum, remos, & totam denique nauem extruatis. Commiſſuras autem,*Muſci* coma aut *Stupa* ferruminat,rudentes & reſtes,*Cannabis* & *Spartum* ſuppeditant:*Pice* omnia coroborantur. Ligneo deinde Clauo & velis Linteis naues inſtruuntur. Et hæc demum ea quibus naues obliquis ſuis curſibus etiam ventum aduerſum, in ſuum vſum conuertũt,quibus omnibus mundi plagis ſingularum dotes communicant, quibus nouos ſubinde Orbes patefaciunt; imò (vt Plinium audiatis) quibus *Orbem terrarum vltrò citróque portant.* Illud rurſus elementum, ſi maritimorum valla oppugnet, quàm egregiè hæc aduerſus vndarum impetum *trabibus* & *faſcibus* roborentur,

Digitized by Google

borentur, & *Arundine vallatoria*, & *Tritici ſtramine* conſeruentur, experientiâ compertum habent prudentiſſimi Bataui.

Abſolutis iam ſtructuris, vacuas non eas relinquimus, ſed neceſſaria etiam ſupellectili inſtruimus, quam recenſere infinitum eſſet. A nobis enim (vt pauca attingamus) oriuntur omnia linea, omnia chartacea, omniaque lignea, quæ penè innumera. Capſas quoque, & pyxides, penariasque cellas à nobis habetis, in quibus res quaſlibet domi nitidè reconditis, ſpurcas etiam ſcopis *ericeis* verritis, aut *oleagineo* ſapone, vel cinereâ lixiuiâ lauando purgatis. Merces etiam quaſcunq. tranſmittendas ſtoreis, & panno funibusque *cannabinis*, optimè compingit mercator; ſportiſque aut vaſis noſtris imponit; & ſic ligneis cartis commodè omnia vehuntur. Igne tandem, è ligno & carbonibus conſtructo, carere non poteſtis. Cùm veſperaſcit, lampades veſtras *oleo & ellychnio* inſtruimus; *reſinatis* funalibus per plateas vos deducimus; & eiuſmodi aliquot millia, quæ ſingulis diebus in vſu ſunt, præſtamus. Sub noctem habetis lectũ & ceruical *Gnaphalii*, *Typhæ* aut *Acanthii* lanugine farcitum; ſunt *iuncinæ* ſtoreæ, nec deeſt culcitra *xylina*, aut (more antiquo) *ſtramentitia*; ſunt *xylinæ* lodices, & *lintea* toralia. Si morem tamen antiquiſſimum ſpectetis, *Silua domus*

Supellex è plantis.

D *fuerat*,

Digitized by Google

fuerat, cibus herba, cubilia frondes. Præterea ſi ad bellum vrgeat neceſſitas, ſuppeditamus aureo ſæculo non expetita arma: eſt *Myrtus validis haſtilibus, & bona bello Cornus; Ithyreos taxi torquentur in arcus.* Sunt *Calami,* quibus ſpicula è duriſſimo ſuo *ligno* addunt Braſiliani; cuſpidem flammâ etiam indurant Bamuræ, & *Aconiti* demum veneno eam alii inficiunt: imò (vt pro nobis loquatur qui ſuprà) *ſi quis diligentiùs computet, æqua ferè pars hominum in toto mundo calamis ſuperata degit.* Noſtramque in bello opem Romani olim victores agnoſcentes, deuictos, ſub iugum è *fraxineis* vulgo formatum haſtis miſêre; & *Ingentem quercum deciſis vndique ramis,* aliámve arborem hoſtium ſpoliis indutam in trophæum exornauere, militibus ſuis è varia fronde coronas dedêre. Dediſſe & aureas, non negamus; his tamen querceæ longè præferebantur, quippe quæ tantummodo ei conceſſæ *validis fuſo qui viribus hoſte caſurum potuit morti ſubducere ciuem:* de quibus adeptis vt ipſe Auguſtus Cæſar palam gloriaretur, ſæpiſſimè eas ſuis numiſmatibus imprimi curauit. Nec etiamnum intereſt an victoriam an *Palmam* belli victor adeptus dicatur. Quid multis? Vna huius nominis arbor ad humanos penè vſus ſufficiat, quam corollarii loco habete. *Indicam* eam vocant *Palmam*, cuius nucis (*Coccos* dictæ) medulla recens, butyro ſimilima

eſt;

eſt, ſiccata caſtanearum ſaporem imitatur; compreſſa, lac, & duplex oleum ſtillat; nec non ad illam in omni ferè morbo Indi confugiunt. E ramis præciſis vinum abundè colligitur: quod inſolatum fit acetum; diſtillatum, aquæ ardenti ſimile; igne concretum, ſaccharum diceres. E nucis extimo cortice fiunt zonæ, ſtoreæ, rudentes, & alia; ex intimo tornantur vaſa. Arboris truncus ædibus, nauibus, armis, & vtenſilibus fabricandis, combuſtioni demum idoneus. Breui commoditatum genera, ſexaginta ſupra trecenta, ſibi ſuppeditari prædicârunt Babylonii ex hac *Palmâ*; quæ (vt à neceſſariis ad iucunda tandem tranſeamus) finem, & fidem iam dictis faciat.

Nunc autem videamus vt ſenſibus veſtris ſimus oblectamento. Quod ad viſum, neminem latet, nullum auidiùs ſpectari, quàm herbarum frondiumque virorem, quippe qui contuentium viſum non ſatiat, alibi laſſatum & recreat, & exacuit. Nihil etiam eſt quod colorum varietate, & figuræ elegantiâ oculos titillet magis, quàm iucundus florum intuitus. Quid appetunt? argenti nitorem? oſtenditur in *Lilio*; auri fulgorem? in *Calendula*; amethyſti purpuram? in *Viola Martia*. Hæc coniunctim exoptant? ſe ad *Tricolorem violam* conuertant, & voti compotes erunt. Et quid florente *Perſica*, vel *Sambuco* roſea elegantius? & fructibus *Viſus à plantis oblectamen.*

aut *Ceraſo*, aut *Viti* fructibus onuſta quid aſpectu iucundius? Vt ſilentio prætereantur *Glaſtum*, *Rubia*, *Galla*, *Lignum Braſilianum*, celebre *Coccum*, aliaque quorum tincturâ, & pannus, & ſericum aſpectu iucunda ſunt. Tacemus varia quoque pigmenta, oleo, aut gummi macerato cõtrita, queis artificioſa Pictorum manus (naturæ æmula) tabellas, ſeu linteas, ſeu ligneas ad miraculum vſque illuſtrat.

Auditus oblectamen. Aures nihil omnium iudicio magis permulcet, quàm inſtrumenta muſica, quorum quid tandem dulcius fiſtularum, aut lituorum (qui toti lignei) concentu? Omiſſisque Panos & Poliphemi è *Calamo* fiſtulis, Indorumque ex *Abauai* fructu nolis, *Eſt & arundineis modulatio muſica ripis, Incubuit foliis quoties leuis Eurus acutis*; qua certè nulla antiquior.

Olfactus oblectamentum. Quod ad odores, quænam noſtrûm odora non eſt? Imò quidnam præter nos odoratum eſt? Elementis nullus odor, animal nullum penitus odoratum, vel Theophraſto teſte; & corporis veſtri odor qualiſcunque quàm ſit gratus, narium eſto iudicium. Verùm (vt progrediamur) quid illas alliciat magis, quàm flores, & frondes, quæ (præter *Roſam, quæ flos odorque diuûm*) multiplices quotidie gignuntur? è quorum etiam mixturâ, ſtrophiola, & corollas connectitis. Nec flores tan-

tantùm & folia, verùm & radices, vt *Iris*: ligna, vt *Agallochum*: cortices, vt *Cinnamomum*: gummi, vt *Benjui*: fructus, vt *Cariophylli*, iucundo fragrant odore, eumque in multos annos ſibi, imò vobis, integrum ſeruant. Præterea ex hiſce liquores ſtillatitii, ſuffimina, vnguenta, & diapaſmata naribus & cerebro quàm ſint grata, nemini ignotum.

Sapores autem nobis varii, ſucco enim ſumus aut vinoſo, vt *Morus*, aut pingui, vt *Olea*, aut dulci, vt *Ficus*, aut acri, vt *Sinapi*, aut amaro, vt *Abſinthium*. At palato quæ maximè arrideant, repetere hîc neceſſarium non eſt, cùm paſſim quàm ſit grata *vini* ſuauitas, re ipſa oſtendant plurimi, qui etiam cum famæ diſpendio huic adeò ſunt addicti, vt rem domeſticam, bonam corporis valetudinem, ingeniique acumen palàm potiùs negligant, quàm vt huic liquori pro ratione parcant. Fructus deinde noſtros & crudos, & *ſaccharo* condîtos, hypotrimmata, & aromatites, palmam ferre ſaporis, probant ex his confecta bellaria, quippe quæ ſola aliorum ciborum ſaturas paſſim (in epulis) ſolita ſunt irritare denuò gulas. *Guſtus oblectamen.*

Quid de tactu dicemus? Aliquídne libentiùs ſibi proximum cutis veſtra ſentit veſte lintea? Nónne torrium calore hyeme, *Platani* alteriúsve arboris vmbrâ æſtate, corpus mirum in *Tactus oblectamen.*

modum afficitur? Illud olim teſtatus eſt Ionas, qui hac luce, quàm illâ vmbrâ, priuatum ſe maluiſſet.

Horti delicia. Quid denique omnibus omnium ſenſibus magis arridet, quàm viridarium, amœnis arboribus, fragrantibus floſculis, ſuauiſſimis fructibus, & vmbroſis dumis conſitum? Id palàm fatetur Lipſius, vbi cum Argo oculus, cum Catullo naſus vt fiat, videtur vouere, quo magis ſenſus paſceret horto Langii ſui, *Fonte* (vt inquit) *gaudii, liquidæque voluptatis.* Nec ſenſus tantùm exteriores, ſed & animum interiorem recreat. Studioſis enim iucundiſſimam meditandi materiam ſubminiſtramus, non modò inſigni noſtra varietate, quæ (Dodonæo teſte) *tam eſt multiplex, vt nullo numero comprehendi, nec vllis certis limitibus conſtringi poſſe videatur*; ſed ob admirabilem etiam quarundam vel naſcendi vel florendi morem, ob diuerſas etiam in vna eademque planta vires. Peculiari enim quædam modo ſeruntur, vt vtraque *ficus Indica*, quarum altera ipſis foliis, altera ramorum fibris ſe propagat: *Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu) Truditur è ſicco radix Oleagina ligno.* Eſt *Lilii* genus quod ſummis caulibus bulboſas gerit radiculas. Noctu tantummodo floret *Arbor triſtis*, hyeme *Oxyacantha* illa Anglica. Quædam reuiuiſcere videntur, vt *Roſa Hiericontia* à vulgo nuncupata,

pata, quæ triginta iam annis arefacta & contracta, aquæ impoſita ſeſe explicat. In alias aliæ tranſeunt, vt *Linum* in *Lollium*, *Braſsica* in *Rapam*, *Caprificus* in *Ficum*; aut contra. Amœnâ etiam artificum ſolertiâ florum augetur magnitudo, fructuum emendatur ſuccus; imò etiam proferimus ſalubres, quos paulo ante edidimus lethales, vt de *Perſea* in Ægyptum tranſlata commemorant. Quod ad vires, floris *Roſæ* pars ſuperna aluum laxat, inferior vnguis aſtringit; & *Orchidis* alter bulbulus Venerem prouocat, alter inhibet. *Stramen* adeò videtur calidum, vt fructus immaturos percoquat; & ſimul adeò frigidum, vt glaciem æſtate conſeruet. Quid multis? Tanta hiſce curis ineſt delectatio, vt quantumuis ad annum iam ſeptuageſimum iis fuerint intenti Lobelius noſter & Cluſius, viri eximii, & ſagaciſſimi ingenii botanographi, ſatiari tamen non queant. Nec nouum hoc. Iam olim ſapientiſſimo Salomoni rei herbariæ ſtudium in deliciis fuit; floribus, & hortis ſe Cyrus, & Semiramis delectauerunt; tantique apud Diocletianum voluptas hæc, vt præ ea Imperialem contempſerit Maieſtatem: depoſitâ enim ſponte purpurâ, totus in hortis ſuauiter conſenuit. Imò nihil excogitari poſſe viridariis iucundius, hoc vnum argumento eſt, quòd nempe omnes totius Orbis populi, vbi incomprehen-

ſibilem

ſibilem beatarum animarum felicitatem verbis exprimere conantur, illas in hortis aut campis (Elyſiis nempe & Paradiſo)eſſe affirmant. In quibus parumper reſpirandum. Vos interea perpendite, & vno demum ore agnoſcite neceſſitati pariter,& voluptati à nobis affatim ſatisfieri poſſe.

Publica à plantis vtilitas.

Nec hæc tantùm præſtamus omnia, ſed & cultura noſtri Reipublicæ cuiuis multis modis eſt emolumento. Illam enim non nouis friuolisque replemus opificiis, (quorum alioqui fertile hoc æuum) nedum ganeones, aut ignauum hominum genus in eam introducimus: quin imò peruerſos mores *ferulâ*, *virgis*, centurionum *vite*, *cannabino* denique laqueo, & corrigi, & puniri videtis. Neque tantùm infantiam recreamus, quæ *Nucibus* gaudet *ludere par impar*, *&* *equitare in arundine longa*: aut ſenium, dum eius greſſus *ſcipione* firmamus: aut vulgus, dum publicam eius lætitiam incenſis *doliis picatis* exprimimus: verùm magnam paſſim hominum vim in aruis, in vinetis, in hortis honeſtiſſimo alimus labore; quorum deinde opere nihil Reipublicæ magis neceſſarium. Fortiſſimos quoque milites ex agricolis gigni notauit antiquitas. Oſtenderunt & hoc M'. Curius & L. Quintius Cincinnatus, quorum alter à villa ad Senatum, alter ab aratro ad dictaturam (etiam in rebus arduis) fœliciter fuit vocatus.

Digitized by Google

tus. Et longè ante illos ab aratro ad munus propheticum Elizam vocauit Deus O. M. Adhæc medicinæ ſtudioſos noſtra excitant, pharmacopœos inſtruunt. Piſtores præterea, olearios, carpentarios, doliarios, reſtiones, culcitarios, & carbonarios faciunt, qui deſidiam (quâ nulla pernicioſior peſtis) ſimul & euitant, & Reipublicæ vtiliter inſeruiunt. At ſi lucrum cordi, quàm ſimus noſtris cultoribus quæſtuoſæ, *Goßypion*, *Glaſtum*, *Crocus*, *Arundo ſaccharina*, & *Rubia*, variis vario climate Inſulis opimo cum fructu demonſtrant. Liuoniæ incolis quàm magnus ex frumento prouentus, & India quàm felix aromatibus, cui ignotum? Cretam *vineæ* ſuæ cultura & celebrem, & diuitem fecit. Hiſpanias cum locis circumvicinis adeò *Vitis*, *Olea*, & *Ficus* beârunt, vt harum commercio, omnium regionum opes ad ſe vltrò alliciant. Et ad inuidiam vſque Belgas *Linum* nuper ditauerat; quod vnum, variis vſibus applicatum, quot (Deus bone) hominum millibus vtriuſque ſexus victum & amictum parit! & quot iterum millibus (in chartam iam conuerſum, & *Gallarum* atramento inſcriptum) animum etiam vtiliſſimis & iucundiſſimis ſtudiis paſcit! Imò & animam ſalutari cibo: Dei nempe æterni verbo, quod nobis concreditum, à nobis ecce omnibus ſeculis legendum præbetur.

Plurima plantarum operâ acquirenda.

Sed nec ſic his colophonem addimus; vlteriùs progrediemur. Primùm obiicitur piſcem & carnem nos non largiri; Eſto: Attamen ſine noſtra ope, operam luſerit qui alterutrum nanciſci voluerit: Piſcaturo enim nauiculas, retia, ſagenas, *Arundinem, Ariſtolochiam, Suber*, fiſcellas denique ſubminiſtramus. *Cocculum Indi* etiam interdum nobis abripitis. Aucupii ſtudioſus à nobis tendiculas, panthera, decipula, grana, *Viſcum*, & interdum *Nucem vomicam* petit: Noctu torres aut funalia expetit. Venatui addictus, à nobis caſſes, plagas, arcus cum neruis, iacula, atque *Thoram* accipit. O miſeri, hæc ſi denegemus, quàm latrabit ſtomachus, qui non niſi carne aut piſce pacari volet! Aſt nec cohortales aues, nec pecora (inquiunt) veſtrâ operâ captanda. Semine frondeque conſeruanda tamen, vti mox dicetur. Deinde vitro, cerâ, ſerico, aliiſque nos carere clamant, nec amentes conſiderant, vt & hæc omnia noſtro egeant auxilio. *Quercus* enim *Ka'i*, & quæ *Neglectis vrenda filix innaſcitur agris*, vrenda ſanè, & in cinerem iam redacta vitris materiam præbent. Ad fauos fingendos abſque *floſculis*, apes ineptæ erunt. Qui vberem ex bombycibus fructum ſibi ſpondet *Moris* deſtitutus, Μωρὸς meritò iudicandus. Si noſtrarum careant ſucco, ſucceſſu etiam exſpectato carebunt tinctores. Vt perficiatur

ciatur corium, decorticandæ priùs caudices, *Malicorio* & *Rhue coriaria* etiam opus. Et (innumeris omiſſis) qui abſque torrium igne vaſa figlina, aut lateres ritè excoquat, laterem æquè lauet, vt habet adagium.

Mineralia verò (quibus nos ingrati oppugnatis) quomodo inueniretis, niſi indicibus nobis, quæ in fodinarum ſæpè creſcimus ſuperficie? Sed ne ſtirpium indicantium genera recenſeantur, nónne *Coryli* verè diuina virga manu iuſto pondere retenta, ad tellurem metallo grauidam vergit? Et è repertis fodinis quis fructus, ſi noſtra ſubduxerimus? Si nempe non lignum, è quo ignem metallis purgandis neceſſarium ſtruitis (non enim vbique ſaxei præſto ſunt carbones) nec alia è ligno inſtrumenta vobis præberemus, adeò parum è fodinis commodi manaret, vt an quæri quidem dignæ ducerentur, diſputandum eſſet. Iis enim vos carere poſſe oſtendit noua Peruviæ regio, quæ annorum aliquot millia abſque vel ferri (metalli vobis maximi vſus) penè notitia tranſegit. *Mineralia.*

Gemmas autem igne non egere, quicunque obiiciet, adiiciat etiam quàm parcè telluris viſcera illas donent, & quàm procul ſint petendæ. Si interim proficiſcenti victu & amictu nitidisq. induſiis non occurramus, iumentum non paſca- *Gemmæ.*

mus, vehiculum nec nauim ſuggeramus, tantus proculdubio incommodorum aceruus quemlibet deterrebit, vt nemo lapillos, nemo aurum etiam aut ebur ex altera Orbis parte petere velet. Et quis harum rerum vſus? Non gemmis, non auro, non ebore eget humanæ naturæ imbecillitas. Hæc vt haberentur in precio, precium fecit, cara quòd caro conſtent. Cæterùm quando precioſiſſima quæque aſſecuti eſtis, quid tum? multis nominibus nos eis antecellimus. Vix enim plura comparabitis quàm opibus olim affluentiſſimus Salomon; ille tamen Rex cum vniuerſa gloria ſua non ſic amictus fuit (teſte ipſa veritate) vt *Liliorum* noſtrorum vnum. Non temerè itaque *Lauro* potiùs, quàm lucido auro coronabant eos, quos triumphali ſunt honore dignati antiquiſſimi Romani.

Animalia à plantis. Verùm hæc miſſa faciamus, & ad exactiorem veniamus rerum ſupputationem. Quid aliud eſt ſericum veſtrum quàm *Mori* folia in id mutata? Quid cera, quid mel, quàm florum ſuccus ab apiculis in illa mutatus? vt iure inquiat Ouidiana Flora, *Mella meum munus*. Et ipſæ apes, quæ non *corpora ſegnes In Venerem ſoluunt, aut fœtus nixibus edunt, Verùm ipſæ foliis natos & ſuauibus herbis Ore legunt*, nunquid à nobis ſe prognatos fatentur? Quid altiles aues, quid ſyluestres, quid pecorum caro,

lac,

lac, vellera, quid elephantum ebur, quàm herbarum ſemina foliaque in iſta mutata? & quidem pro noſtro commutata arbitrio. Aliam enim eſſe ſuis carnem fageâ, aliam ilignâ, aliam quernâ glandæ paſtæ, ruſticis notum. Auenam quæ ſitum redolet ſi gallinæ ederint, & hunc earum ſapient oua. Sic & *Allium* (à vaccis depaſtum) ſuum ſaporem, & *Ranunculi* flores ſuum colorem lacti conciliant. Virgæq. verſicolores quantum conducant, vt maculoſo vellere pariantur agni, eſt quem non latuit (teſte Moiſe) in priſca mundi ætate.

Quid multis? non *Mella* tantùm, ſed animalium corpora tota, noſtrum *munus*. E ſucco enim herbarum quibus prægnans veſcitur ouis, non vbera tantùm lacte turgent, ſed ſuam etiam ſumit agnus in vtero materno ſubſtantiam: poſt partum autem lacte priùs, quotidiano dein *Graminis* vſu corporis illi incrementum, & ſanguinis abundantia, & ex huius demum meliori ſucco ſperma illud exugitur, quo (aries iam factus) genus ſuum quotannis propagat. Rapaces dein alites, ac belluas inſectis & animalculis victitantes, abſque nobis ſatis latè viuere ſi quis replicet, explicet etiam quomodo beſtiolæ & inſecta illa alantur, quàm frondibus & fructibus noſtris, aut ſaltem cadauere animalis, nuper herbis enutriti,

ex iiſque in carnem conuerſi? Si quis adhuc dubitet, anates illas quas diximus Hibernicas, ſibi ante oculos ponat, quas non corpus tantùm omnibus numeris abſolutum, ſed & animam à nobis ſolis immediatè adipiſci videbit.

Plantæ animalia præcellunt.

Sed & hic vnus animalibus irrationalibus conceſſus eſt honor, vt ſuam à nobis originem iactare poſſint. Intereà tamen illa à nobis dignitate longè ſuperari, ex eo patet, quòd vbi illa nobiſcum coniuncta leguntur, nobis ſemper partes ſint aſſcriptæ digniores. Exempli gratiâ, cùm regius vates Dauid piorum cœtum decantat, eum *Vineam* nominat; impios autem ſub quadrupedum nomine deſignat. Iſaias etiam expulſu draconum, & ſubſtitutione *Iunci* & *Arundinis*, felicitatem temporis denotat. Parabola de verbo diuino, ſub ſeminis, & de diabolo, ſub auium ſimilitudine, nobis honori vertitur: & quanquam *Spinis* opes denotantur, has tamen per ſe bonas eſſe, apud omnes in confeſſo eſt. Tempore metamorphoſeôn auaram Arnen in volucrem, impudicam Io in quadrupedem, caſtâ verò Daphnen in arborem mutatam legitis. Sic Philemon & Baucis de diis benè meriti, arborum formam acceperunt. Impudicus Hippomanes cum Atalanta, ab offenſa Deûm matre, cui *Pœna leuis viſa eſt ſtygia ſi mergeret vnda*, ambo in leones transformati

mati ſunt: pœna itaque hæc, illâ maior. Et hodie nónne à fructu, frugeque frugalem, aut fructuoſum appellari, pulchrum; à beſtiis verò belluinum aut ferum, probroſum eſt? Vtque Aſini nomine nihil paſſim contemptius; ita homini nihil gratius, quàm ſi flos ipſe ſe dici audiat.

Imò tu homo, vnde tui tibi corporis ſubſtantia, quàm ex nobis? Cur terræ puluis diceris? cur Tellurem nemo non magnam matrem appellat, quàm quia veſtrûm quilibet ex ea ſe deſumptum fatetur. Primum enim veſtrûm omnium parentem è terræ maſſâ apertè formauit Deus O. M. nec poſtea ſententiam mutauit, ſed & ex eadem materia adhuc veſtrûm vnumquemq. creat: non tamen immediatè vt olim, ſed per medios, quos huic operi deſtinauit. Sed ſcíſne quo vobiſcum agatur modo? ánne verò huius tibi ſeu metamorphoſeos, ſeu (ſi mauis) tranſubſtantiationis climax eſt aperienda. Scíſne quo modo (iuxta Moiſis verba) *terra tibi ſit edenda omnibus diebus vitæ tuæ? quo modo puluis ſis, & in puluerem reuerteris?* E terra autem (vt ad primam gradationem veniamus) & vinum, & oleum, & frumentum, aliaque noſtra edulia gignuntur: terrea itaque hæc dicas, quæ ſi à vobis manducentur, ſuperflua quidem materies in excrementis expellitur, at ſincerior horum ſuccus in omnes corporis veſtri ſe partes *Homo è plantis.*

&

& transfert, & transformat: hinc vobis(æquè vt aliis animalibus) cutis carnis,adipis,oſſium, ſanguinis, ſpermatis ſubſtantia,hinc incrementum. Sed & hac ratione terrei eſtis,at in ſecũdo remotiorique gradu. Si verò ab animantibus obtruncatæ depaſcamur, hæc eadem in his præſtamus; quorum carne dum vos veſcimini,ecquid quàm carnificatas (vt verbo illis proprio vtamur) herbas ventriculo immittitis, & in corporis veſtri ſubſtantiam conuertitis? Et ſic carnei cùm ſitis, herbacei etiam, & per herbas (nec alio modo) terrei eſtis, licet in tertio huius metamorphoſeos gradu. Optimè itaque Platonici non formæ tantùm, ſed & ſubſtantiæ cauſa hominem plantam inuerſam dixerunt. Et rectè promulgat Iſaias,quòd *omnis caro fænum eſt, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſiccatum* (inquit) *eſt fænum, & cecidit flos.* Hoc eſt,populus eiuſdem cum herbaceo ſuo nutrimento ſubſtantiæ, ſimul ac illud floret exaret, & rurſus in terram conuertitur. A nobis itaque veſtrum hoc corpus, imò & vitam manare dicimus; quod ſatis vt appareat, fingito plantis totum Orbem orbatum eſſe, omne ſtatim inſectorũ, volatilium, quadrupedum, & conſequenter hominum genus fame & penuriâ interiturum videbis. Non ſine cauſa itaque ante animalia nos ſummus rerum opifex creauit,
&

Digitized by Google

& tertio quidem die, qui numerus ſacer habetur, & perfectus. Et quid denique corporis ſubſtantiam à nobis procedere adeò (ſi Deo placet) mireris aut inuideas potiùs? O mortales, de genere veſtro actum iamdudum fuiſſet, niſi interueniſſent *Apta fretis abies*, & *ſacra Ioui quercus*. Illa quid præſtiterit, Noachus cum ſuis in diluuio illo vniuerſali abiegnæ incluſus arcæ fœliciſſimè expertus eſt. Hanc autem in monte Caluariæ ſuam præbuiſſe materiem Chriſtianæ cruci putatur. Sic vt Ioui & ciuium ſeruatoribus *Quercus* olim fato dicata videatur, deſtinanda ſcilicet aliquando veri Dei, mundique Seruatoris ſacriferæ cruci. Cæterùm è cuiuſcunque fuerit arboris materie, humani generis conſeruatrix arca; è cuiuſcunque etiam ſalutifera hæc crux, horum tamen duorum lignorum ope, vitâ tum præſenti, tum futurâ ſe frui, quis viuentium negabit?

Ne tamen vos veſtræ pudeat originis, fuſiùs explicabimus, quibus in rebus nobiſcum vobis conueniat. Sunt nobis venæ, nerui, ſucci, eſt medulla, ſemen genitale; ſunt oſſium cutiſque inſtar, caudices corticati, nobiſque vti & vobis decidentes comæ. Clauiculis etiam quibus vicina apprehendimus, non caremus; vt nec ſpinis, quibus nos defendimus, quæ nobis manuum & vnguium ſunt loco. Eſt & anima vegetatiua, *Planta hominibus cōparata.*

cum vi attractiua, retentiua, nutritiua, & expulſiua. Quamlibet ſuam ſuo ſemine ſpeciem propagare palam eſt, idque tanto cæteris animalibus vberius, quanto illis ſeminis abundantia, & naſcendi celeritate præſtamus. Nec ſemini tantùm hæc propagandi vis ineſt, ſed & ramulis, foliis, ſurculis, radicibus, hoc eſt, membris etiam noſtris, qua in re vos antecellimus. Imò & ſponte interdum creſcere videmur, vti docet *Phyllitis* in nouis puteis aut lapicidinis interdum prouenienſ, vbi in ſuperficie aut locis vicinis nil tale apparuerat. Qua de cauſa fortè Anaxagoras aërem omnia ſemina habere credidit, quibus cum aqua vnà delatis omnia gigni aſſeuerauit. Sed & iam enatæ hominum generi vitæ diuturnitate longè arbores noſtræ antecedunt. Nec propriam tantùm ſpeciem, ſed & animalcula procreamus: nam *Caprificum, Populum, Terebinthum* gignere diuerſa inſectorum genera compertum eſt, non quidem alterius indigentes ſexus auxilio, ſed ſolas. Quod ad ſenſus attinet, quis guſtum negabit marinis eſſe plantis, perituris, niſi ſalſuginem deguſtent in potu? quis olfactum germinibus & fructibus, qui acceſſum mulieris menſtrualis ſic percipiunt, vt inde langueſcant? quis tactum ſpinoſæ illi circa Memphim plantæ, cuius folia contacta in ſe concidunt? & quis au-
ditum

ditum *Viola alba*, in Myeno monte, quæ vbi nominatur nouerca, corrumpitur? & viſum quis *Araxæ*, quæ ſimul atque inuentam ſe vidit à virginibus, ſanguinem emittens contabuit? Imò nec *Paliurus*, qui è ceteris auibus cuculum dignoſcit, iudicio caret: niſi & eodem caruerit cucullatus fortè Plutarchus, dum hæc talia literis mandaret. Sed ſeriò oſtendimus nos ſenſus aut rationis non eſſe expertes. Vnde enim alioqui ob nutrimenti defectum demiſſis foliis conquerimur? nouum alimentum indies appetimus? & ex terræ mole prudentia admirabili illud ipſum & id tantummodo quod nobis vtile, deligimus? & iam humore refectæ nunquid explicata fronte (aut fronde ſaltem) hilareſcimus? Quædam tamen abſque ſolo in aëre ſuſpenſæ inediam ſuſtinent, vigentque, vt *Aloë*, *Scylla*; at ab aëre interclusæ, tanquam ſpiratione priuatæ, omnes tandem interimus. Hisque fortè de cauſis animalia nos eſſe faſſus eſt Plato, & appetere, ſentire, ſpirare etiam credidit Anaxagoras. Sed brutorum ne hæc tantùm eſſe dicatis, progrediamur, & vulgatam inter animalia diſtinctionem examinemus. *Pronaque ſi ſpectent animalia cætera terram*, homines autem melior natura *iuſſerit erectos ad ſydera tollere vultus*, humana nos eſſe figura conſequitur. Quin etiam qui hominum brachia, oculosque,

cum noſtris brachiatis ramis, & florum ſeu germinum oculis comparabit, ocellos noſtros magis quàm hominum, obuerſos cœlo, & ramos magis erectos deprehendet. Loquelam etiam attribuit Ouidius *Quercui*, *Vlmo* Philoſtratus, *Fago* Orpheus: arbores locutas meminit & Plinius. Quid rides? Loqui arbores? Obmuteſce: aut à te in nos iacta ſcommata in caput tuum raptim reſilient. Nobis enim pſittaco maior eſt loquacitas, quam decepti veteres garrulæ puellæ attribuerunt. Non enim eſt Echo Nympha quædam, quæ (vt canit ille) *Spreta latet ſyluis, pudibundáque frondibus ora Protegit*, ſed ipſæ ſyluarum concauæ caudices, & implexæ ſibi mutuò frondes, nobis non rarò ſunt linguæ, & ora, quibus vnicuique ſuo ſtatim idiomate reſpondemus. Imò & mentem nobis cum Anaxagora tribuerunt Empedocles & Democritus. Magnam etiam vobiſcum neceſſitudinem nobis eſſe vt oſtendatur, hominum quamplurimos, in arbores, floreſque verſos eſſe non illepidè fingit ille, cui *In noua fert animus mutatas dicere formas Corpora.* Eodemque ſenſu alter canit quòd *Quercus Lauríque ferebant Cruda puerperia, populos vmbroſa creauit Fraxinus, & fata viridis puer excidit orno*: at hic integriori agit fide, vt qui nobis debitam primogeniti prærogatiuam non præripit. Originis enim antiquitate, primáque

que terrarum poſſeſſione, reliquis omnibus animalibus antecellimus.

Sed & virtutes noſtras veſtris comparemus. Noſtra inprimis diuini Numinis obſeruantia cui obſcura? Nos (veſtro exemplo) legem tranſgreſſas, quam ab initio ſummus nobis Creator impoſuerat, quis probabit? Nónne planta quæque ex præcepto Conditoris germinat, frondet, floret, ſementat, ad vſus hominum tollitur, aut marceſcit tandem & interit? illi interim ſeq. ſuáque committens nullius eſt caſus querula. Immeritò enim patientiſſimæ *Nuci* longam humano more querelam à Poëta quondam eſſe affictam, vel ex eo patet, quòd cùm querulus quiſque tabe tandem corripi ſoleat, *Nux* verberibus afflicta magis etiam luxuriet. Tantum etiam abeſt vt illatas iniurias vlciſci velimus, vt *Iuniperi* lignum vel in ignem coniectum, ſalutari ſuo fumo, aëris contagia ab ipſo pellat incendiario. Patientiam hinc diſcite. A nobíſne? Quídni? Nunquid è Lilio naſcente fiduciam, è frumenti grano reſurrectionem, è Ficu ſterili pœnitentiam vos ſacræ docent paginæ? Imò non rarò vobis ipſæ ſumus ad pietatem monitrices, *Præſentémque refert qualibet herba Deum.* Quis enim mentis eſt tam inſipidæ, vt noſtras formas, mores, vires contemplans, non mox rapiatur in admira-

Plantarum religio & virtus.

 tionem

tionem ſummi Opificis? Nónne videtis vt religioſè indies patulis florum ocellis Solem (numen nobis viſibile) ſalutemus, & contorto collo proſequamur? hoc autem lumen noctu cùm receſſit, & nos clauſis luminibus in craſtinum dormimus; ad aliam cùm ſe contulit Orbis zonam, in ver proximum trimeſtri (vt plurimùm) ſomno quieſcimus. Nec deſunt adeò religioſæ vt emori malint, quàm ſemel conſpecta Solis luce orbari, vt ſunt flores *Hemerocallidum, Iaſmini Mexicani*, & ſimilium: imò aromata, quæ (Martyrum inſtar) contuſa acriùs ſpirant. Hæreticæ nullæ ferè inter nos: vna quidem *Arbor triſtis*, & vnus *Convolvulus cyaneus* ſuos florum oculos ipſi Soli claudunt; Lunæ autem & aſtris eos aperiunt: & *Corallium* in maris fundo cùm vitam ducat, & nullum vnquam Solem intueatur, atheiſmum profiteri videtur; ſed iſtæ aliis nullo modo ſunt moleſtæ. Inſuper reliquiis vobiſcum certare audemus: nam vt diuos diuaſque prætereamus, de quorum oſſibus paſſim gloriamini, ecquid de diuiniſſimo oſtenderitis? Nobis autem aut eſt *Palma Chriſti*, & ſunt *Oculi Chriſti*; aut certè oculis capti, qui nomina hæc nobis impoſuerunt. Sed quis hîc cachinno abſtineat, quòd *Palmam Chriſti* quærentem, alter veſtrûm ad *Serapiadum* ſpecies, alter ad *Ricinum* mittat; & ſuam vterque pro legitima oſten-

oſtentet? vt taceamus de tertiâ, quam *Manus Chriſti* nomine pharmacopola venditat. Sed & diſſidium hoc veſtris myſtagogis non infrequens. Virginitatem etiam quæ more veſtro profitentur habemus; quæ nempe nihil ſeminis ferunt, vt ſunt *Draco* & *Filix*: in illo tamen à vobis differunt, quòd muris aut clauſtris ab aliis ſecludendæ non ſunt; in hoc autem fortaſſe conueniũt, quòd occultè æquè iſtæ ſe propagant, vti aliæ multæ, quæ quotannis ſemine onuſtæ, aut maritatæ conſpiciuntur: fit hoc tamen abſque pudicitiæ detrimento; quæ quàm à vobis peſſundetur, (proh!) pudet referre. Abſtinentiæ quoque cultrices ſumus; quælibet enim noſtrûm quantum ſufficit à Tellure communi matre accipit, ſi quam Tellus non ſatis enutriat, eam aliqua noſtrûm ingenuâ imò ingenitâ liberalitate educat, vt *Geniſta* ſuum *Rapum*, & *Quercus Viſcum*, adoptionis nomine *quercinum* dictum. Exteros nec deſpicimus, ſed aduenæ ſurculi arboribus inſiti, ab iis benignè excipiuntur, fouentur, floribus fructibuſque ditantur. Vix vlla inter nos contentio: breuior ſub proceriori, tenera cum hiſpida; dulcis apud amaram, alienigena iuxta indigenam viget: quadrupedes etiam à ſegete, herbiſque tenellis, prætenſa ſepes (excubiarum inſtar) arcet. Temerè denique nonnullas inimicitiarum eſſe incuſatas, documento

mento ſit *Pampinus*, qui in Colii noſtri *Laurum* ſua ſponte nuper prorepens, in eâ ſe vuis veſtiit, contrà quàm ſcriptum reliquerunt antiqui. Imò iam ab animalibus depaſtæ, aut aqua, vel igne putrefactæ vel exuſtæ, noſtro generi proſumus; ſi nempe fimo, lolio putrido, aut cinere noſtro noualia ſtercorentur. At veſtrûm (ô mortales) quot, bello, luxu, impatientiâ miſerè periere! An vobis itaq. longè videmur inferiores? Imò & vobis nos antetuliſſe videntur XII. Romanorum tabulæ, quæ grauiùs necari puberem iubebant, qui noctu frugem ſuſtuliſſet, quàm homicidii conuictũ. Egregios etiam viros, non vixiſſe aut ſcripſiſſe (hominum id tantùm eſt) ſed floruiſſe vulgò dicitis, digniori ſcilicet vocabulo.

Plantis Diui delectantur.

Patet itaque quo in honore habitæ fuerimus. Nec mirum ſi Apollo, Pan, Bacchus, Ceres, aliíque nobis diui lubentes patrocinentur, Muſæque nobiſcum commorentur. Nec tantùm *habitârunt Dii quoque ſiluas*, ſed luci etiam olim numinum templa fuere, ac illorum pleriſque arbores peculiariter conſecratæ fuerunt, vt Ioui *Quercus*, Palladi *Olea*, & *Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho, Formoſæ Veneri Myrtus, ſua Laurea Phœbo*. His poſtea non contenti viri primarii (poſt Mercurium, à quo *Mercurialis*) ſuas ſibi herbas propriis inditis nominibus ſacrârunt, vt in *Achilleæ, Lyſimachiæ, Artemiſiæ*,

temiſia, & *Drakena* radicis nominibus videre eſt. Et huius æui homines nónne tanquam diuis gratificaturi, illis, vnà cum aris, & ſacellis (quæ *Olibano* noſtro fumificant) herbas etiam dedicant? D. enim *Mariæ* ſuus datur *carduus*, *S. Ioanni* quoque & *S. Barbaræ* ſuæ tribuuntur *herbæ*, & à diuis *Chriſtophoriana* & *Iacobæa*, nominantur. Imò tot ſunt plantæ à diuis denominatæ, vt de his ſolis integrum nuper libellum emiſerit Bauhinus. E contrario ſunt noſtris qui ſe nominibus ornârunt, ſeque Piſones, Lactucinos, Floros, Suſannam, & Sabinam, ſuasque familias Alliam, Fabiam, Papiriam dixerunt. Feriæ, floralia & vinaria; imò & diui, Syluani, Segeſta, & Pomona à nobis nomen habent. *Olea* & *Palma* Bœotiæ fontibus; *Terebinthus* & *Nymphæa* alicubi inſulis; & *Quercus*, variis apud Hebræos locis, nomina ſua indiderunt. Vna *Acanthus* Macedoniæ Vrbem, Ætoliæ montem & Propontidis inſulam ſuo nomine cohoneſtaſſe videtur. Sed quis ſingula verbis exequatur? Rhodus inſula à ῥόδῳ (ſeu *Roſa*) ſe nuncupatam, nummis flore inſcriptis, antiquitùs gloriari voluit. Quæ floris icon, eo quòd inuerſa, crumenæ quodammodo formam referat, & quòd in altera nummi parte caput eſt ſeu Solis ſeu Coloſſi radiis cinctum, (vti Chriſti ſeruatoris caput ſolent exprimere pictores) anſam

G præ-

Digitized by Google

præbuiſſe iis poteſt, qui & Romæ & Lutetiis nummum hunc publicè oſtentant, tanquam ex argenteis vnum, quibus Iudas, crumenæ baiulus, Dominum ſuum vendidit. Rhodios imitati ſunt populi, quibus nomine noſtro decorari fata negauerunt: priſci enim Syracuſani & Capuani ob frumenti ſe iactantes abundantiam, nummos *Spicâ*, quemadmodum Cyrenæi *Silphio*, ſignârunt: & Hebræi virgâ eſfloreſcente ſiclos ſuos ornârunt.

Plantarum cum diis affinitas.

Ecce etiam vt cum diuis aliquam nobis antiqui affingerent affinitatem, non tantùm nos ab illis, & illas (vt diximus) à nobis viciſſim denominârunt; ſed etiam corporum quodammodo partes vtriſq. tribuerunt: ita vt è Veneris ſanguine *Roſas* tinctas, & è lacte Deæ Iunonis *Lilium* etiam natum crediderint, & vice verſâ Troianas olim naues *Robore mollito, lignoque in corpora verſo, Æquoris eſſe deas, qualis Nereïa Doto*, ſcriptum reliquerint. Porphyrius inſuper *Tubera* & *Fungos* Deorum Filios dixit: at Iouis propriè videntur, quo tonante naſcuntur copioſiùs. *Allium* & *Cæpe* inter numina numerant Ægyptii; *O ſanctas genteis, quibus hæc naſcuntur in horto Numina!* Et quídni, æquè atque alii *Vel ſyluas Dryades, vel deuia rura Napæas* vocitârunt? Nunquid igitur meritò (ſi diuinitatis participes) diuinis honoribus culti, colendique ſunt

noſtri

noſtri caudices,ramis,& frondibus exuti, & à fabro diui alicuius formam adepti, vt de ſe ipſo loquitur Horatianus Priapus:*Olim truncus eram ficulnus,inutile lignum,Cùm Faber incertus ſcamnum facerétne Priapum; Maluit eſſe deum: deus inde ego.* Imò (vt inquit Tibullus) *Tunc meliùs tenuere fidem, cùm paupere cultu Stabat in exigua ligneus æde deus*, quàm poſtquam eos ex ære & marmore ſequentia ſecula elaborârunt, opes fortè, artem, & ipſam ex his ſuperbiam pietatis titulo oſtentantia. Socrates etiam, qui Athenis olim vulgi deos immortales neglexit, & per *Quercum* ſeu *Platanum*, (tanquam deum fortè potiorem) deierabat, celeberrimo Apollinis oraculo mortalium ſapientiſſimus pronuntiatus eſt. Quid amplius optemus? Minimi tamen hæc omnia precii, ſi cum diuinis comparentur honoribus, quos ſacro & venerando illi pani (vt vocant) tranſſubſtantiato tribuunt antiſtites Romani: Quo nihil maius excogitari poteſt. Nec eſt quòd vini diuinitatem ſacrificus aliquis ſuggerat, maiorem laudem noſtra non ſitiunt.

Si ergo diuinæ haberi vultis (dicat aliquis) anne etiam ſydera, aut alibi in cœlo locus vobis aſſignatus? Quídni? certè inter illa, rariores licet, tamen videmur, nec eſt cur tædeat: quo enim afficeremur honore, ſi vrſis & canibus ſeu maio- *Plantæ in aſtrorum ſphæra.*

 ribus

ribus ſeu minoribus, ſi ſerpentibus, ſpuriis, ſimilibusque, quæ in aſtris locauiſtis, paſſim adiunctæ fuiſſemus? Quis deorum inter hæc monſtra ſedem ſibi fixam voluit? Septem quidem diui totidem Planetas incolunt: at nónne contrario errantes inceſſu, tam turpe ſe conſortium (cœlo affictum potiùs quàm infixum) dedignari omnes oſtendunt? vnus quidem Canopus, vnaque Iuſtitiæ virgo Aſtræa turbam illam comitantur; ſed nobis hoc adſcribendum, quippe quòd illum *faginea* noſtra Argo circumuehat; hanc autem pulcherrima noſtra *Spica* deducat: & ſic etiam nos inter aſtra videtis. Sed quid ſi deleta poëtica omni illa turba, omnes nobis ſphæras vindicemus? Non enim tantùm aſtra cœli flores vocauit quidam, ſed Pythagoreorum nonnulli ſingulas ſtellas, mundos eſſe ſingulos affirmârunt. Si mundi, vallibus igitur, plantiſque pulcherrimis ornati, quales Lunam habere diſertè ſcripſerunt. Veruntamen ſi ſedulò magis res perpendenda fuerit, ecquid eſt in toto Orbe quod vnquam ſtellæ expreſſerint exactiùs, quàm ***Id lignum felix in quo Deus ipſe pependit.*** Hanc enim crucem tanquam lucidis ſtellis effictam ſibi in cœlo apparuiſſe Magnus eſt Imperator teſtis. nec hoc ad incertum aliquem euentum, ſed additis etiam his verbis ***In hoc vince;*** aut ***In hoc ſigno vinces.*** Quod ſignum

ſignum rurſus in nubibus apparit urum Chriſto redeunte, quidam è D. Matthæi verbis coniiciunt. Niſi fortaſſe (vt ſincerè agamus) non crucem, ſed crucifixi initiales Græcorũ literas (ipſam nempe P. literæ X decuſſatim inſertam) Conſtantinus viderit, aut non decuſſata tantùm hæc elementa, ſed contracta adeò, vt æqualem hoc modo ⳨ crucem penè referrent. Legitis enim Imperatorem *ad imitationem illius ſigni quod in cælo apparuerat, exemplar ſibi fabricaſſe, quo tanquam præſidio in præliis vteretur.* Signi autem formam apertè monſtrant numiſmata tam ab ipſo Conſtantino Magno, quàm ab eius Filiis, aliiſque proximè ſequentibus Impp. Chriſtianis cuſa; etiam ea in quibus aſcriptum legitur, *Hoc ſigno victor eris:* quæ non crucem, ſed literas alterutro quo diximus modo ſibi implicitas in galea, in clypeis, in haſtis, & in labaris paſſim oſtendunt. Vnde rectè Prudentius, *Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus Scripſerat.* Aſt vbi pergit, *ardebat ſummis crux addita criſtis, & longis ſolido ex auro præfertur in haſtis,* aut cruci hoc non diſſimile ſignum ⳨ innuit quod in haſtis numiſmata oſtendunt aurea; aut nouum ſuæ ætatis morem fortè deſcribit, & *ſecundum ea quæ geri ſuo tempore videbat,* (ſic de eo alicubi Baronius) *tunc quoque fieri putabat.* Valentis dein Imp. nummos

Digitized by Google

primùm variare videmus: aureus enim vnus(aut de induſtria, aut monetarii incuriâ) neglecto ſemicirculo quo elementum P denotabatur, crucem tantùm in labaro oſtendit. Veruntamen Zenonis & poſteriorum Impp. temporibus, puram tantùm nummis crucem ſpectandam præbere adeò increbuit, vt inde Chriſti quas diximus literas, penè(imò planè tandem) deturbatæ ſint. Quemadmodum & eadem ætas à terrarum globo ipſum temonem ſeu clauum antiquitus ei aſtrictum (cuius ſcilicet anſam Hadrianus Imp. in ſuo numiſmate apprehendens, egregiè indicabat ſe clauum imperii tenere) reiiciens, ſuperiorem tantùm claui partem, & anſam eius tranſuerſam globo alligauit; & cruce illâ ad Chriſtianæ formam redactâ, globum hunc cruciferum Imperatoribus in manus dedit. Hæc quoq. oculatiſſimum non latuiſſe Ortelium, geographici ipſius Theatri frontiſpicium oſtendit, in quo temonem terræ globo veteri ritu alligatum, Europæ ſuæ reſtituit. Imperatores etiam nonnulli dempto & poſtea globo, crucem tantùm manu tenentes in nummis appârent; alii & hanc ipſam gradibus eleuatam oſtentant. Nec eſt quòd differentiam hanc miremini. Priores enim Impp. illud imitati certè ſunt ſignum quod in cœlo Conſtantinus vidit; poſteriores illud fortè lignum

quod

quod in terris Helena inuenit, cœleſtibus ſcilicet terreſtria iungentes. Ethnicos autem, Gallienum nempe aut Romulum, crucem Chriſtianam nummis expreſſiſſe, vt perſuaſum Lipſio videtur, ne putandum quidem: ille enim labari, aut vexilli haſtam (inſtrumentum vocat Erizzo) auerſa numiſmatis ſui parte exhibet. Romulus autem ſi cruci honorem detuliſſet, tantum abeſt vt eum à patre Maxentio inter diuos poſt obitum relatum videremus, vt diris potiùs ab eo, (Chriſtiani nominis hoſte) deuouendus fuiſſet. Cruciferum autem nummum, quem Occo ex obtrita fortè inſcriptione Romulo attribuit, Momylii Auguſtuli eſſe, etiam ſi non à doctiſſimo Lipſio, à nobiliſſimo tamen Gallo deprehenſum eſt. Hodierno autem die ſic crucem in nummis excudere vſitatum, vt ab ea etiam aureos ſuos Luſitani, & nummulos argenteos Germani propriè denominent; & Belgis nihil differat, an crucibus ſe an monetâ carere vernaculâ linguâ dicant, vt cruce ſcilicet maximas parari opes doceatur. Sic regum diadematis eam imponere conſuetum, vt omnes ſuperare honores oſtendatur. Sic denique aſſidua in omnibus Romanorum ſacris, ſic templorum vbique turribus conſpicua, vt ab ea pietas pendere videatur. Iterum itaque *O lignum felix*! Sed quorſum hæc? Vt oſtendamus ligneæ

noſtræ

noſtræ crucis formam, contracto iam Chriſti nomini longè præferri. Imò (quod maius) huius vel effigies tantùm in aere efficta, hominem beare, & à cacodæmone liberare creditur: quæ virtus ne corporeæ quidem ipſius Chriſti formæ in aere deductæ, tribuitur. Ad cœlum itaque rectà nos transferamus.

Planta in cœlo. Sed dicite: quid cœlum vocatis? Poëticorúmne deorum domicilia, an manium beatorum ſedes? Si deorum domicilia, vbique ferè eſt cœlum, & nos vbique in illo. Iouis quidem aula (*Roſis* nihilominus diis epulantibus ſtrata) apud ſuperos licet collocetur, in hoc tamen etiam ſuo plantigero mundo ſuum habet domicilium. Neptuno, in ſuo Oceano ſtirpibus ingentibus, (in mari pacifico, & alibi, fluitantem ſyluam referentibus) deornato ſua ſedes. Plutoni etiam, ſubterraneis floſculis excultam eſſe regiam nihilo minorem quàm aulam Iouis, didicit olim moribundus Axiochus. Saturno autem, qui *Cœlitibus regnis à Ioue pulſus erat*, cœlum eſt in florum frugumque fertili Latio, ſic vocatum, *his quoniam latuiſſet tutus in oris*. Ad cuius ſimilitudinem non iniuſtus Lipſius, qui Langii nuper floſculos intuens, *cœlum hic habes non hortum*, illi inquiebat. Imò totus hic terræ globus Copernico æquè in cœlo nobiſcum circumuoluitur, atque quiuis planetarum.

rum. Verùm ſi beatarum animarum ſedes, cœlum dicant, nónne ad paradiſum vel ad campos illæ Elyſios ſeu veritatis euolant? vbi *amœna vireta Fortunatorum nemorum*, ſi Virgilio; vbi *Omnes oræ variis floribus vernant, fructuumque vbertate ſcatent*, ſi Platoni; vbi vini fluuius, arboresque *Sedre* & *Talech*, ſi Mahomedi creditur? Nec defuere qui mortuorum animas *Porris* & *Lupinis* veſci, habitare autem in *Fabis* docuerint, ideoque *Fabarum* eſum olim interdictum fuiſſe: nam interdum (referente Poëta) *Par fuit hoc fabulum caput ac exeſſe parentis*; aut forſitan regis, quale in legumine latére & huius æui homines putare videntur, apud quos moris eſt, vt qui *Fabam* in Epiphaniis ſorte nactus, Rex conuiuii deligatur. Sed ſi quis cum D. Petro Terram nouam iuſtorum animis habitaculum fore prædixerit, is etiam nos in illâ expectet: nec (hanc cùm videat pulcherrimis plantis circumueſtitam eſſe) illam infructuoſam tantùm terræ maſſam fore exiſtimet. Hæc hactenus; quæ cordatis perpendenda & admiranda damus. Multaque facilè adderemus, ſi omnia relatu digna in medium afferremus: nam *mille præterea ſunt vſus noſtrarum, ſine quis vita degi non poſſit*, inquit Plinius. Nobis autem inpræſentiarum ſufficit ſtirpes modò veſtris ſuffragiis affectas diuinis honoribus, nunc in cœlos etiam (diuorum inſtar)

H eſſe

Google

eſſe relatas. Vbi eas relinquamus, & dicendi finem faciamus.

Encomii cõfirmatio. Aſt nimia nos vel iam retuliſſe dicent multi, quibus nimirum omnia hæc probè cognita; nunc ſcilicet admoniti. *Non aliter (ſi parua licet componere magnis)* quàm facilis nunc vobis eſt res, variæ formæ tabulas geographicas ad vnius libri magnitudinem omnes redigere, poſtquam id factum vidiſtis in nouo *Orbis terrarum Theatro*. At ante doctiſſimum illum (quem modò nominauimus) geographum, huius inuentionis authorem, cùm videlicet paucæ tabulæ pendulæ vel ampliſſimos ædium parietes adimplerent, quis ſumptui, quis loco parci ſic poſſe excogitauit? quis publico intuentium commodo, ſtudioſorumque vtilitati hoc modo conſuluit? *Nemo, hercule nemo.* Cæterùm nec iſta quæ diximus fortè omnibus æquè arridebunt: nec mirum, cùm *nec Iuppiter ipſe, Siue pluat, ſeu non, vnicuique placet.* Imò hiſce omnibus obſtrepant: nihil tamen gloriæ noſtrę ademptum erit, quæ domi nobis naſcitur, non ab aurâ populari captanda; & quam promeruiſſe, etiamſi non adipiſcamur, nobis abundè ſatisfacit. Sed vtinam hæc omnia alicui diſpliceant! hac tamen lege, vt dignitatem ille noſtram magis ad viuum ipſemet depingat; cuius dein ſtylo ſic gloria noſtra illuceat, vt ſermo hic

Digitized by Google

hic noſter vmbra tantùm ad illam videatur comparata lucem. Sed quibus tandem (ſi Deo placet) reluctemini? Perſpicua ſi oppugnetis, eadem illa vos impudentiæ conuincent. Aliorum teſtimonio fulta ſi reiiciatis, iam veſtri generis primarios, quos ob eruditionem admiramini, vanitatis arguetis. & nónne veſtras tunc reclamationes æquo iure floccifacere, & vanitatis damnare & nos poterimus? Et ſi quid demum oſcitantius hîc aut dictum, aut omiſſum fuerit, non noſtrâ ſed interpretis noſtri culpâ acciderit, hominis inquam tantùm, & quidem talis, qui cùm eruditionis ſit expers, huic oneri ferendo eſt impar; tantoque magis, quòd primus hucuſque nos prouexerit, nec præcedentem, quem imitetur, habuerit. Iſtius tamen voce & operâ nobis opus fuit, eo quòd, quando non verbis aut ſono, ſed (quod maius) re ipſa loquimur, lingua tunc noſtra (vt nec Deorum, Homero teſte,) à negligenti hominum vulgo non intelligitur. Alioqui quid & hîc opus eſſet verbis? Per ſe ſatis appareret è globis illis cœleſtibus quos noſtra cauſa creauit Deus Opt. Max. quàm neceſſariæ vobis, & quàm charæ illi ſimus. Solem quidem ſuo circuitu diem vobis & annum metiri nõ negamus: ſed cui obliquo ſuo per Zodiacum curſu anni tempora diſtinguit? Vobis ex hac variatione

nulla corporis, nulla mentis differentia. Nobis itaque anni vices mutari claro clarius eſt. Ver enim germinibus & floribus, Æſtas frugibus, Autumnus vuis aliiſque fructibus inſeruit, & Hybernâ dein quiete radices egent, vt nouas vires in annum ſequentem acquirant. Cui etiam Pleiades & Hyades imbrem parant? cui Leonis & Caniculæ ſydera æſtum? ánne vobis? Imò hæc adeò vobis ſunt moleſta, vt ſub tectis ambo aufugiatis. At nobis hæc conueniunt, vt vernis nempe pluuiis ſeges producatur, & vt æſtiuo dein æſtu meſſis matureſcat. Reliqua autem ſyderum lumina nunquid à Deo condita ſcribit Moïſes, vt ſigna ſint, & tempora denotent? At quænam? *Tempora* (dicet Virgilius) *quæ meſſor, quæ curuus arator haberet*; & ipſe ſanè *quo ſydere terram Vertere conueniat* egregiè perſequitur. Cuius etiam ſyderis ortu aut occaſu, vnumquodque ferè ſit opus ruſticum inchoandum, explicat Plinius. Sed vobis hæc latiùs examinanda relinquimus. Nobis hic terminus eſto.

Concluſio. Quum igitur (ô mortales) cibum, potum, medicamenta, nec non amictum, ædes, naues, neceſſariamque affatim ſupellectilem vobis ſuppeditemus; inſuper omnes ſenſus oblectatione titillemus; quum deinde metalli, gemmarum, ſerici, aliarumque opum inopes eſſetis abſque noſtra

noſtra ope: nec animalia, nec conſequenter vos ipſi abſque nobis conſiſtere poſſitis; quum poſtremò principibus viris ſemper gratiſſimæ fuerimus, tellurem quoque, oceanum, elyſium, & cœlum decoremus; ecquis inertiâ adeò ſopitus, aut inuidiâ excæcatus eſſe queat, cui beneficentia, cui maieſtas noſtra non liquidò appareat? Adulandum itaque haud ampliùs; ſed viribus noſtris, diuinoque patrocinio fretæ, & authoritate conceſſæ nuper nobis *Coronæ imperialis*, vobis in rem veſtram hæc imperabimus. Omnes nos ſerunto, colunto, tuentor, ſcriptis celebranto, nobis vtuntor, & grates ſummo agunto Conditori. Si quos alia negotia impediant, quo minus huic prouinciæ vacent, ii ſingulos quibus nos cordi, quibus noſtra curæ, amore proſequuntor, honore afficiunto. Detrectatoribus, aduerſariis, ingratis, omnes aduerſantor. Qui ſecus faxit, Cererem & Bacchum iamiam habeto infeſtos; ad poſteros fama eius chartaceis noſtris monumentis non perfertor, ſed poſt mortem perpetua obliuione ſepelitor. Diximus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BENEVOLE LECTOR,

Paginæ 21 initio verba illa, Plurima etiam quæ in piorum cœtum quadrant, è *Vitis* naturâ colligi poſſunt, quæ prætermittimus, *ita immutari velim*:

Pleraque etiam ſibi peculiaria habet hæc arbor, quibus Meſſiam adumbrare potuit. Nobiliſſimum enim quantumuis ferat fructum, caudex tamen huic aſpectu eſt vilis, palo aut alia arbore attollitur, vinculis alligatur, eius vua pedibus conculcatur, & dirumpitur, vt ſuccum illum effundat, quo cor hominis reficitur. Sic etiam ille Dei licet filius nunquid ſpecie fuit abiectâ? nunquid cruce eleuatus, eique fuit affixus, conuitiis quoque protritus, & vulneribus confoſſus, è quibus ſanguis ille effluxit, quo vita vobis conciliatur æterna? Quanta autem ſit inter vtrumque congruentia, ex eo patet, quòd ſicuti vinum Moiſi vuarum dicitur ſanguis, ita Meſſias ſanguinem effundens torcular calcaſſe dicitur ab Eſaia. Sed hæc mittamus. Hoc tamen & dignum notatu, quòd nempe arbor illa ſcientiæ *Ficus Indica* in ethnicum ſit ſolum ablegata; arbor autem vitæ *Vitis vinifera* tui potiſſimùm, *&c.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google